This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Digitized by Google

600031840M

11. 2.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PHILIPPI SCHIASSII

DE PATERIS

EX SENTENTIA

JACOBI TATII BIANCANI

SERMO

HABITUS IN REGIO ARCHIGYMNASIO

BONONIENSI

BONONIÆ

TYPIS JOSEPHI LUCCHESINI.

MDCCCVIII.

175. e. 60.

Digitized by Google

Digitized by Google

PH. SCHIASSIUS
CAJETANO VIGNAFERRIO
S. P. D.

Petis abs me, Vignaferri suavissime, tibi ut tradam sermonem illum, quem hoc anno in Archigymnasio habui, quum adolescentes nonnulli, egregii sane, et prestantes, jurisprudentiæ laurea donarentur. Sermo ille certe quidem ad te adeo pertinet, ut non tam meus, quam tuus esse videatur. In eo enim (quod exordio ipso non obscure significavi) et de opere retuli, quod socer tuus Biancanus meditabatur, et quidquid retuli, ex te accepi; vix quidquam, aut ne vix quidem adjunxi de meo. Curavi scilicet, ut quæcumque ille excogitavit, fidelissime narrarem. Neque vero ea

Digitized by Google

dissimulavi, quæ idem ipse minus probavit: candide etiam, simpliciterque exposui, quæ ille, motus præsertim auctoritate Joannis Baptistæ Passerii amici sui, cujus in his rebus habebatur judicium gravissimum, probavit tum quidem, nunc autem fortasse omnino repudiaret. Neque enim arbitror, si inchoatum opus absolvisset, omnia probaturum fuisse, quæ potissimum de paterarum usu conjectavit, ut universas putaret liquoribus in sacrificio libandis usuvenisse; quod etsi de plurimis dici potest, de omnibus certe non potest: multas namque videmus pateras, etruscas præsertim, quæ planæ sunt, atque ita quidem, ut nihil omnino liquoris capere possint; cujusmodi illa est, quam in Cospiano Museo jamdiu asservatam, Cospianam appellare Bononienses consuevimus; nimirum hanc, non secus atque alias complures, non liquoribus effundendis, sed aut molis salsis, caterisque ejusmodi rebus offerendis destinatas dixeris,

Digitized by Google

aut opercula vasorum fuisse, aut ornamenti genus quodpiam in pompis usurpatum putaveris, quod Lanzius quoque animadvertit. Qua de re non deerunt fortasse, qui partitionem illam paterarum improbent, quam Biancanus ex earum usu desumptam est amplexus. Eam quoque accusabunt alii nomine τῆς τῶν κώλων ἀνισότητος, *quod ejus quaedam capita genera paterarum complectantur, quæ maxime abundant, alia vero earum, quæ paucissimæ sunt, aut vix illæ. Erunt etiam fortasse, qui alias quoque accusationes non in eam modo partitionem, sed in opus universum conjiciant, quas ego quidem omnes in eo sermone prætereundas censui, quod lucubrationem illam exponere, non reprehendere, imo etiam laudare consilium fuit: id quod cum res ipsa, tum et sermonis ratio, et occasio dicendi, et dignitas tanti viri, deque studiis nostris optime meriti ex me postulare videbantur. Quare nihil propemodum in eo leges, quod*

Digitized by Google

ex Biancani tui schedis, quarum mihi perhumaniter copiam fecisti, non deprompserim; ut fere jam non meum aliquid a me postules, dum illum sermonem postulas, sed potius tuum. Quem itaque jure tuo vindicas, ad te mitto, haud equidem invitus; misissem enim (qua nostra est amicitia) etiamsi jure tuo non vindicasses. Vale, meque, uti facis, ama.

Prid. Kal. Sext. A. MDCCCVIII.

Digitized by Google

Antiquorum pateras alii alias ediderunt in vulgus, atque explicaverunt pro re nata; qui dedita opera egerit de omnibus, fuit quem sciam adhuc nemo. Quod quidem minime mireris; nam superioribus temporibus pateræ tam multæ non innotuerant, ut communem sibi tractationem vindicarent. Postquam vero studio, et diligentia Archæophilorum in lucem prodierunt aliæ atque aliæ, ut jam ferme ducentas numerare possis, optandum sane fuit (optavit autem inter cæteros clarissimus vir Aloysius Lanzius (*a*)) exsistere aliquem, qui universas colligeret, distribueretque; non modo ut omnia, quæ fusa in multorum libris, et dispersa jacent, sub uno aspectu ponerentur, verum etiam ut quæ aliis vel minus nota, vel prave animadversa fuerunt, et facilius patefie-

(*a*) Saggio di Lingua Etr. T. 2. pag. 258.

Digitized by Google

rent, et commodius emendarentur. At vero idipsum cum Lanzius, multique desiderent, pluribus abhinc annis Jacobus Tatius Biancanus anteverterat. Is enim inde ab eo tempore, quo in bononiensi Instituto rerum antiquarum Museo præfectus est, in id monumentorum genus multum operæ, laborisque contulerat. Scilicet hominem ad eam curam, studiumque excitabat summorum virorum scriptis celebrata patera, quæ a Ferdinando Cospio Senatore jamdudum coempta, ad hæc usque tempora in eodem Museo asservata est; excitabant reliquæ omnes, quæ asservantur adhuc, quæque ut ejus scriptis celebrarentur, ab eo quasi petere videbantur. Quare in has primum commentari Biancanus: tum comparatis sibi ex amicis, quos et multos habuit, et pereruditos, paterarum imaginibus quascumque potuit nondum editis, de his quoque scribere: omnes autem delineandas, æreque cudendas curavit. Ingenioso homini, atque has res diu multumque versanti non difficile fuit cum novi aliquid, quod cæteros fugerit, deprehendere, tum plura, in quibus alii erraverint, animadvertere. Itaque majus quidpiam molitus,

Digitized by Google

quotquot antea vulgatæ essent, imagines paterarum inspicere diligentius, quam nemo fortasse fecerit, atque emendatius describere aggressus est. Et quando earum divisio excogitata erat adhuc nulla, ad eam quoque animum convertit: ut duo potissimum, quæ maxime optanda dixi, susceperit Biancanus; collectionem, inquam, et divisionem paterarum. Agedum, inquiet aliquis, e tanto molimine quid tandem exstitit? Ille quidem, ut multis accidit, sive occupationibus aliis distentus, sive morte præreptus, his de rebus nihil unquam pervulgavit; sed plura in schedis reliquit adnotata, digna sane quæ pervulgentur. Ego vero, siquidem humanitate Cajétani Vignaferrii, Biancani generi, mihi amicissimi, factum est, ut eas nactus schedas et pervolutarim sæpius, et majori qua potui diligentia in ordinem congesserim, constitui sin minus totum opus, quod vix inchoatum est, certe non absolutum, in vulgus emittere, de eo saltem hodierna die ex hoc amplissimo loco verba facere, extremumque hunc Biancani laborem, abditum adhuc, et reconditum, quasi e tenebris in lucem vocare. Nemini autem injucundum fore speravi

Digitized by Google

ea audire, quæ mihi jucundissimum sit referre non tam propter rerum præstantiam, atque amplitudinem, quam propter auctoris virtutem, et dignitatem. Tanta enim cum in omnem antiquitatis scientiam, tum potissimum in Museum nostrum Biancani merita exstiterunt, ut quæcumque ab illo prodierint, libenter excipi, ejusque vel nominis gratissima esse debeat, et plena voluptatis recordatio. Itaque alacri animo, quæ ille de pateris et diligenter collegit, et erudite disseruit, breviter exponam in hunc modum.

Quæ sibi occasio, quod consilium fuerit operis conscribendi, declaravit Biancanus primo loco; quibus de rebus satis, ut arbitror, modo dixi. Perquisivit deinde originem, et antiquitatem paterarum: atque illam quidem a liquoribus in sacrificio libandis duci oportere; hanc tantam fuisse ait, quanta ipsa fuit ejus sacrificandi ritus antiquitas. Hic Biancanus, ut homo erat apprime eruditus, atque in latinorum, græcorumque scriptorum diuturna lectione versatus, vetustissimos populos animo, et cogitatione percurrit. Ad Hebræos primum se convertit, in quorum religionem, cærimo-

Digitized by Google

niasque libatio vini, olei, sanguinis cum inducta fuerit (*a*), tum vascula ad eadem excipienda accommodata (*b*), atque adeo pateræ in eorum libris describuntur. Ab Ægyptiis usurpatas pateras non modo oculis, inquit ille, prope cernas in schematibus Mensæ Isiacæ, sed etiam intelligas ex Plinio (*c*), et Solino (*d*) monentibus, Memphiticos solemni die, quem Apis natalem habuerunt, pateram in Nilum projicere consuevisse. Æthiopas sacra facientes aquam e patera effudisse scripsit Heliodorus (*e*). Suas etiam Persis fuisse pateras (*condy* eorum lingua appellaverunt) Athenæus (*f*) memoriæ prodidit; tradiditque Herodotus (*g*) Xerxem priusquam in Græciam trajiceret, cum vinum libavisset Soli, pateram in Hellespontum abjecisse. Hos memoravit antiquissimos populos Biancanus, ex quibus non tam rituum prope omnium, quam sacrorum instrumentorum rationem in Græcos, Etruscos, Romanos derivatam affirmavit.

Hæc vero ille de antiquitate, atque ori-

(*a*) Levit. c. 23. v. 13. Num. c. 15. v. 5. Exod. c. 24. v. 6. et c. 29. v. 20. et alibi. (*b*) Exod. c. 25. v. 29. (*c*) l. 8. c. 71. (*d*) c. 35. (*e*) l. 2. (*f*) l. 11. (*g*) Polymn. l. 7. c. 5.

Digitized by Google

gine paterarum cum docuerit, earum formam descripturus, eo quod pateant, latine ita dictas Varrone (*a*) teste monuit; rotundas autem esse omnes: romanas plerasque manubrio nullo donatas; contra etruscas, quarum Biancanus vidit nullam carentem manubrio: manubria vero ut plurimum in caput vel draconis, vel canis, vel arietis desinere, sive id artificum arbitrio, sive potius religione aliqua factum putes, quod pateat earum rerum imagines ex veterum disciplina symbola fuisse aut Apollinis, aut Bacchi, aut Larum, aut Numinum aliorum. At sunt etiam paterae, quae etsi affabre sculptae, manubria tamen habent rudia, clavorum instar; quin imo breviora, quam ut manibus prehendi commode possint. Ea nimirum, ut conjecit Biancanus, vel eboreo, vel æreo, vel argenteo capulo elegantius elaborato aptanda erant.

Jam quae paterarum materies fuerit, declarari oportebat; quam quidem pro variis cum temporibus, tum fortunis populorum variam fuisse, ex antiquis scriptoribus facile licet colligere. Homerus (*b*), Thucydides (*c*), Diodo-

(*a*) De L. L. l. 4. (*b*) Apud Athenæum l. 5. (*c*) l. 6. c. 32.

Digitized by Google

rus Siculus (*a*), Plinius (*b*), Solinus (*c*), Statius (*d*) aureas, argenteasque pateras usui fuisse Ægyptiis, Græcisque prodiderunt. Retulerunt Dionysius Halicarnassensis (*e*), Plinius (*f*), Juvenalis (*g*), Apulejus (*h*) a Romanis fictiles primum adhibitas, crystallinas deinde, et myrrhinas. Argenteas Fabricius permisit summis ducibus Plinio (*i*) teste; aureas teste Livio (*k*) Pæstanorum legati Romam attulerunt. Gemmeas, gemmatasque cum memorant Virgilius (*l*), Sidonius Apollinaris (*m*), aliique, tum monumenta a Maffejo (*n*), et Muratorio (*o*) explicata ostendunt. Etruscorum præterea, Græcorumque vasa fictilia pictas oculis subjiciunt pateras exstantibus vel margaritis, vel lapillis ornatas. At pleræque omnes ex cupro fuerunt; quæ cum vel ab infimæ fortunæ hominibus potuerint comparari, ingenti profecto numero sunt fabrefactæ, ut mirum esse non debeat, earum satis magnam

(*a*) l. 13. c. 3. (*b*) l. 8. (*c*) c. 45. (*d*) Thebaid. l. 2. v. 539. (*e*) l. 2. c. 23. (*f*) l. 35. c. 46. (*g*) Satyr. 6. (*h*) Apologia. (*i*) l. 33. c. 54. (*k*) l. 22. c. 36. (*l*) Æn. l. 2. v. 728. (*m*) Panegyr. Antem. Aug. (*n*) Osservaz. letterar. T. 2. art. 9. (*o*) Thes. Inscript. p. CCXLII. 4. et p. DIV. 15.

Digitized by Google

copiam ad nostra hæc tempora pervenisse.

Permultis vero insculptæ sunt Deorum imagines; eorum quoque nomina aliquibus inscripta. Cujus utriusque rei exemplum Archæophilis præbuit omnium prima Cospiana patera; præbuerunt deinde cæteræ a Dempstero (*a*), Bonarroto (*b*), Gorio (*c*), multisque editæ in lucem. In nonnullis etiam videas imagines, et nomina Heroum, quippe qui magnam cum Diis conjunctionem, atque, ut Biancanus ait, affinitatem habuerunt. Dedicationem ea re significari est arbitratus Biancanus, ita quidem ut quæ patera in sacrificiis unius Numinis adhiberetur, eadem minime adhiberetur in sacrificiis Numinum reliquorum. Id quod ille Homeri (*d*) testimonio confirmavit pateram commemorantis, qua Achilles Deorum nemini, nisi Jovi, libare consueverat. Quo sane testimonio permotus Joannes Baptista Passerius (*e*) ejusmodi paterarum dedicationem jampridem Archæophilos admonuerat. Censuit tamen Biancanus id quidem usuvenisse, cum sacrificia peragerentur solemniora sive ab Impera-

(*a*) Etr. Reg. (*b*) Ibi. (*c*) Mus. Etr. (*d*) Iliad. l. 16. v. 225. (*e*) Letter. Roncagl. 9.

Digitized by Google

toribus, sive a locupletibus viris, quibus magnus paterarum numerus suppeteret; at vero cum privati homines, iique non admodum divites sive domi, sive in agris, sive in lucis sacra facerent, quis crediderit tot iis præsto fuisse pateras, quot Numina colerentur? Id unum statuit Biancanus, pateras cælestium, quos appellant, Deorum in funerum sacrificiis nunquam fuisse usurpatas: longe enim alia erat, quod nemo ignorat, religio Deorum superum, atque inferorum. Hæc ille, at multo fusius de paterarum antiquitate, atque origine, tum de earum forma, et materie, dedicatione etiam, usuque explanavit.

Sed cum magnam sibi ob oculos paterarum copiam, varietatemque obversari videret, probe autem intelligeret nihil esse pulcrius in rebus omnibus, ut ait Tullius (a), dispositione, atque ordine, necesse sibi fore judicavit, ut antequam singulas describeret, illustraretque, suo quamque loco attribueret; quod ante illum nemo unus præstiterat. A plerisque enim ut pateræ quælibet ad manus veniebant, sic aliæ post alias congerebantur nullo discri-

(a) Offic. 1.

Digitized by Google

mine: imo fuerunt etiam, qui non solum accommodatis locis nullam consignarent, sed ne a cæteris quidem monumentorum generibus sejungerent; ut sæpe in suis libris pateras et statuis, et sarcophagis, et vasis, et inscriptionibus, et quibusvis aliis antiquitatis reliquiis interseruerint, forte ex rerum varietate voluptatem quamdam aucupaturi; naturam credo imitati, quæ arbores, quadrupedia, volucres, omne genus animalia non in unum ordinatim, distributeque collegit, sed confuse, et permixte per innumerabiles regiones dispersit, multitudinem præseferens, varietatemque maxima cum delectatione conjunctam. At vero quemadmodum qui naturæ historiam persequuntur, facere solent, ut quæ ipsa per omnia terrarum loca diffudit, eadem illi animo complexi in ordinem adducant, sic Biancanus in id maxime incubuit, ut pateras universas in certa capita digereret. Quæ quidem res plus fortasse, quam credi potest, difficultatis habet, et laboris. Neque enim unam, aut alteram partiendi rationem, sed plures eum exquisivisse, versasse omnes, non omnes probasse necesse fuit. Ac credo equidem futuros, qui cum

Digitized by Google

imagines sive Deorum, sive Heroum multas, et varias pateris insculptas videant, ex iis statim divisionem paterarum hauriri posse fortasse putent, ut quæ Jovis, Junonis, Minervæ, Martis, Apollinis, reliquorum Deorum, quos majorum gentium appellant, imagines repræsentant, ante distribuantur; tum quæ referunt imagines cæterorum, quos appellant minorum gentium, postea marinorum, fluviatilium etiam, si qui sunt; Heroum ad extremum, hominumque clarissimorum, Persei, Meleagri, Herculis, Agamemnonis, Paridis, Helenæ, aliorumque, quos Græcorum sive mythologia, sive historia suppeditat: quam sane dividendi rationem sequuti præsertim sunt, qui marmorea simulacra sive in Museis disponenda, sive in libris illustranda susceperunt. Hanc tamen Biancanus ex eo forte rejecit, quod pateræ non unum plerumque, ut statuæ, sed duos, tres, plures etiam cum Deos, tum Heroas consociatos exhibeant, quorum numerus, et conjunctio eam dividendi rationem recusat. Alii forte varium in variis pateris scalpturæ modum spectantes, primo loco eas ponendas censebunt, quæ rudiori scalpro, deinde quæ mi-

Digitized by Google

nus rudi, ad extremum quæ elegantiori sunt exaratæ. Verum ut ut partitio isthæc placere artificibus, et cultoribus bonarum artium possit, placere tamen Archæophilis non potest, qui in monumentis contemplandis, magis quam artificium, eorum significationem, et usum considerant. Hæc itaque duo præ cæteris potissima arbitratus, ex iis paterarum divisionem sibi ducendam judicavit Biancanus, quam ad hunc fere modum proposuit.

Partitus primum est generatim pateras in publicas, privatasque. Publicas appellavit, quibus sacerdotes in sacrificiis publicis uterentur; privatas, quibus quilibet uteretur in sacrificiis privatis. Publicas rursus divisit in partes quatuor, quarum prima pateras triumphales, altera circenses, tertia nauticas, quarta demum bacchicas complectatur. In partes item quatuor privatas distribuit, quarum prima constet ex natalitiis, altera ex nuptialibus, tertia ex convivalibus, quarta ex funebribus, seu sepulcralibus. His ultimum adjecit genus earum, quas pateras puras, seu patellas vocavit. Quo loco animadvertit fieri posse, ut pateræ emergant in posterum, quibus nova capita tribuen-

Digitized by Google

da sint: hæc interim constituit ex iis pateris, quæ hactenus innotuerunt. Illud quoque fassus est, privatarum plures in publicum etiam fortasse usum, quemadmodum et publicarum aliquas in usum privatum interdum fuisse adhibitas. At sequutus quod plerumque usuveniebat, eam quam dixi partitionem adamavit, quæ sibi præterea de omnibus pateris tracturo percommoda contingebat. Tum de singulis, quæ indicavi, paterarum generibus haud pauca singillatim exposuit. Multa namque legendo, observandoque compererat, quæ ad unumquodque genus pertineant. Perspectum enim tum ex scriptorum consensione, tum ex numismatum imaginibus, tum ex arcuum præsertim triumphalium anaglyphis habebat, Imperatores dum parta victoria gratias Diis acturi sacra facerent, pateris fuisse usos, quas propterea triumphales appellavit. Noverat in ludis circensibus et Neptuno, et Marti, et Deorum plurimis facta fuisse sacrificia, in quibus pateras usuvenisse necesse est, circenses ea de caussa nominandas. A navigantibus item pateras, quas vocari nauticas placuit, adhibitas in sacrificiis tum in littore, tum medio mari

Digitized by Google

peractis, cognoverat ex Herodoto (*a*), Justino (*b*), Pindaro (*c*), Virgilio (*d*), Valerio Flacco (*e*). Meminerat, ut Bacchi religio apud Etruscos orta, ut ad Romanos propagata, quibus cærimoniis, ritibusque apud utrosque exculta; in quibus fuere certe quidem pateræ, bacchicæ nimirum, usurpatæ: Facile autem sibi fore putavit, vel ex Victoriæ imagine, ornamentisque triumphalibus, vel ex equorum cursu, vel ex Castore, et Polluce, cæterisque Numinibus navigationis præsidibus, vel ex Baccho, Faunisque, et Satyris, et Nymphis, quippe Bacchi seu ministris, seu comitibus, ad suum unamquamque caput referre, aliasque propterea in triumphales, alias in circenses, alias in nauticas, alias démum in bacchicas conjicere. Hæc autem cum de pateris publicis exposuisset, ad privatas veniens, natalitias nominavit Biancanus pateras, quæ tum adhiberentur, cum puerorum natales dies celebrarentur; nam et Jovi Genethlio, et Junoni Lucinæ, et Natali Genio sacra fieri con-

(*a*) Polymn. l. 7. c. 5. (*b*) l. 12. c. 10. (*c*) Pyth. od. 4. (*d*) Æn. l. 5. v. 774. (*e*) Argonaut. l. 1. v. 660. et l. 2. v. 611.

Digitized by Google

suevisse prodiderunt inter cæteros Tibullus (*a*), Catullus (*b*), Horatius (*c*). In ejus propterea generis pateris et Minervæ, et Bacchi, et Herculis, et Apollinis, et Dianæ ortus, aliaque hujusmodi conspiciebat. Conspiciebat vero in nonnullis cælo ad Endymionem delapsam, eique colloquentem Dianam; conspiciebat in aliis seu Thetidem a Peleo, seu Proserpinam a Plutone raptam; in aliis Menelaum, Helenamque sibi invicem blandientes; in aliis ad craterem lavandi caussa stantes marem, et fœminam nuptias inituros. In nuptiis autem sacrificatum constat; nam neque uxor a veteribus sine sacrificiis, ut monet Servius (*d*), duci poterat, et Junoni præsertim, cui *vincla jugalia curæ*, ut cecinit Virgilius (*e*), mos erat litari, litari etiam Jovi, quem hac de caussa Gamelium Græci vocaverunt (*f*). Quare nuptiales eas pateras vocavit Biancanus, quæ in iis sacrificiis usurparentur. Convivales appellavit, quoque domesticas. Commemoravit autem sua singulis domibus fuisse Lararia: ne

(*a*) l. 4. carm. 5. v. 19. et carm. 6. v. 1. (*b*) carm. 34. v. 13. (*c*) Sat. 2. v. 60. (*d*) In Virg. Æn. l. 3. v. 136 (*e*) Æn. l. 4. v. 59. (*f*) Vid. Gyrald. Synt. 2.

Digitized by Google

tabernis quidem Lares tenues, ut eos vocat Propertius (*a*), defuisse: domestica sacrificia potissimum in conviviis celebrata esse. Rem omnem luculentissimis Justi Lipsii (*b*) verbis illustravit, qui libationem a veteribus tum Græcis, tum Romanis in omni convivio religiose servatam docuit ex Homero, Plauto, Virgilio, Dione Cassio. Occurrunt proinde pateræ complures et Deos domesticos, et imagines alias exhibentes, quas facile ad convivia referre possis. Denique pateras funebres explanavit: funebres autem vocavit non eas modo, in quibus insculpti cernuntur Dii inferi, sed eas etiam, quæ cædes repræsentant. Mortuorum animas sanguinis sitientes Homerus (*c*) describit: lacte etiam, et vino expiandas monet Virgilius (*d*), in eumque Servius. Hæc itaque in funerum sacrificiis vulgo libabant; libabant autem profecto non sine pateris. Patellis demum utebantur, cum libationes familiares cænaturi faciebant: qua de re Nonius (*e*) meminit inter cæteros. Sunt vero patellarum di-

(*a*) l. 4. eleg. 1. v. 128 (*b*) Antiq. Lect. l. 3. (*c*) Odyss. l. 11. v. 24. (*d*) Æn. 3. v. 67. (*e*) De generib. vasor., et poculor. cap. 19.

Digitized by Google

sco non imagines Deorum, Heroumque, aut quævis aliæ, sed circilli insculpti, quibus aliquando mæandri, flosculique, atque alia ejusmodi ornamenta interseruntur.

Atque ista quidem generatim de pateris censuit Biancanus in commentarium ante conferenda, quam singulas explicare aggrederetur. Subjecit porro collectionem, sive ut ille eam græco nomine appellavit, syllogen paterarum. Equidem Biancani schedas pervolvens de pateris nonnullis frustra quæsivi, sive quod schedæ perierint, in quibus de illis scripserat, sive quod de illis scribere in aliud tempus distulerit. Plerasque tamen in hunc diem vulgatas et accurate descripsit, et docte illustravit: illas vero descripsit, illustravitque majori studio, quæ nondum vulgatæ erant. Addidit ad extremum observationes in fragmenta complura partim fictilium paterarum, partim aliarum rerum, quarum imaginibus librum suum erat ornaturus.

At nimius fuerim, si vel de his fragmentis, nedum de pateris quibuscumque et quid repræsentent, et quo quæque modo a Biancano explicentur, velim commemorare. In sin-

Digitized by Google

gulis quidem quantum Biancani studium fuerit, apparet, quantaque sibi omnis antiquitatis comparata cognitio. Hominis profecto sum admiratus diligentiam incredibilem, maximam veterum scriptorum notitiam, acrem judicandi, conjectandique vim. Id vero etiam sum admiratus magis, quod cum ille eruditissimus certe fuerit, parsimonia tamen quadam in scribendo usus sit, quæ in eruditis rarissima esse solet. Hi enim cum doctrina maxime abundent, contineri vix possunt, quin omnem effundant quaquaversum, feranturque quocumque abripit rerum copia, veluti amnis, qui exundantibus aquis extra ripas profluens campos late vastos passim occupat, atque obruit. Biancanus non item; in quo cum nihil deesse, tum vero etiam nihil redundare facile quisque animadverterit. Latini quoque in eo sermonis nitorem laudavit Franciscus Maria Zanottus, quocum ille multas ex suis schedis communicaverat. Universi autem operis et consilium, et rationem etiam atque etiam probavit is, cujus maxima fuit in hoc studiorum genere auctoritas, Joannes Baptista Passerius, ejusque perficiendi, vulgandique hortator sæ-

Digitized by Google

pe Biancano, suasorque fuerat, nihil dubitans, quin cum liber ille et imaginibus plurimis ornatissimus foret, et doctrinæ, elegantiæque plenissimus, omnium laudes esset consequuturus. Utinam vero Biancano tantum vel otii superfuisset, vel potius vitæ, ut præstantissimi illius viri consilio, voluntatique obsequutus, quæ præclare incæperat, ad exitum adducere potuisset. Ille quidem, ut conjicere facile potui, secundarum curarum studium ex animo nunquam abjecit. Occurrerunt enim mihi ex ejus schedis non paucæ, quas paullo ante quam vita decederet, exaraverat: occurrerunt etiam nonnullæ, quæ ejus rogatu ab amicis recens conscriptæ fuerant; neque enim erubescebat doctus ipse a doctis viris et judicia quærere, et opem, auxiliumque in studiis suis expetere. Ex iis autem unum maxime Biancano profuisse deprehendi (nam ejus manum probe novi) cui multum idem ipse me debere profiteor; qui cum in omni eruditione paucos habeat pares, in litterarum græcarum scientia superiorem certe habet neminem; qui vivit, floretque adhuc, cuique ut quam diutissime floreat, cum propter singularem ejus doctri-

Digitized by Google

nam, tum propter incredibilem morum suavitatem, maximamque in adolescentibus edocendis solertiam, auguramur omnes, vehementerque ab immortali Deo deprecamur; cujus denique modestia haud sane prohibebor, quin vel præsentem, et abnuentem nominem; quis enim, vel me nunc tacente, Emmanuelem A Ponte non impotenti quadam admurmuratione nominet, laudet, extollat? quem Biancanus ipse, si viveret, ipseque loqueretur, beneficii memor, gratique animi caussa, idem ipse, inquam, Biancanus nominaret. At eximii hujus viri opera cum ille frui cepisset, morte extinctus subita est; quod non sine maximo animi mærore possumus recordari. Cum enim dolendum magnopere fuit, inchoatum de pateris opus ab eo perfici non potuisse, tum dici vix potest, quantum hominem et studiosa juventus, et antiquitatis scientia, et Museum bononiense amiserint. Ille enim numismata sive græca, sive latina et collegerat magno numero, et apto ordine disposuerat, et mira eruditione explicabat: ille antiquas inscriptiones omnes, quotquot in hac urbe extant, describendas, doctisque animadvesionibus illu-

Digitized by Google

strandas susceperat: ille statuas, ille anaglypha, ille gemmas, ille vasa, ille bonarum quarumcumque artium opera et æstimare ipse per se, et cæteris declarare dicendo, scribendoque instituerat: ille Museum nostrum, cui præerat, cum quovis veterum monumentorum genere, tum loci, rerumque omnium opportunitate augendum, locupletandumque curaverat. Mitto ejus in naturæ historia doctrinam, quod ea ad antiquitatis studium minime necessaria videatur; perutilem tamen esse negabit nemo. Illud vero minime præterire debeo, quod ad nos maxime pertinet, quodque satis verbis significare nunquam potero: si in hoc præclarissimo doctrinarum, artiumque omnium domicilio cum disciplinæ reliquæ anteactis temporibus explicarentur, antiquitatis studium haud omissum est, si numismata, si lapides, si alia prope innumerabilia ad veterum memoriam spectantia publice sunt declarata, si hæc inter nos studia floruerunt, si adolescentes quamplurimi, si viri doctissimi, si Cajetanus ille Marinius, qui instar est omnium, tantum huic scientiæ splendoris attulit, quantum norunt omnes, quandoquidem isti vel eum habuerunt

Digitized by Google

studiorum suorum auctorem, vel ex ejus disciplina prodierunt, has tantas, tamque præclaras utilitates, hæc inquam omnia Biancano accepta referri necesse est. Quis enim ante Biancanum antiquitatis scientiam publice tradiderat? Quis autem, ut traderetur, effecit præter Biancanum? Ille ad Senatum accessit, rem proposuit, amplissimum decretum reportavit. Memini quo die omnium ille primus de antiquitatis studio orationem in his ædibus habuit, cum et Senatores Instituto præfecti, et cuncti cæterarum disciplinarum doctores, et auditores frequentissimi adessent, postquam et summa argumentorum vi, et admirabili quadam doctrinæ præstantia, dicendique copia ostendisset, quantum populorum historia, quantum chronologia, quantum geographia ex veterum monumentorum contemplatione juventur, quantum artes tum liberales, tum etiam vulgares, et mechanicæ incrementi, utilitatisque accipiant, cum ad extremum perorando majorum exempla proposuisset, recentium beneficia commemorasset, cunctorum animos ad hæc studia incendisset, personuisse omnia plausibus, visumque propemo dum suis ipsum sedi-

Digitized by Google

bus exsultasse Institutum, sibique, et civibus universis, et exteris omnibus de nova in sinum suum recepta disciplina esse gratulatum. Atque id quidem faustissimis, ut videmus, auspiciis, ominibusque perfectum est. Cum enim his temporibus bononiense Institutum, Archigymnasii forma accepta, ad novum gloriæ genus evectum sit, optime constituta antiquitatum explicandarum ratio præclarissimo consilio confirmata est; in qua sane confirmanda quo major eluxit NAPOLEONIS MAGNI sapientia, qui rem perutilem, maximeque commendandam decreto suo constabiliverit, eo major Biancano laus accessit, quo auctore invecta res sit, quæ a tanto Principe confirmari mereretur; quæ profecto nisi constituta antea fuisset, ortus illa quidem longe clarissimos habuisset Eo Auspice, sed neque tam multi, qui proxime nos ætate præcesserunt, pulcherrimam ediscendi occasionem nacti essent, neque ipse tantum hoc honoris, quantum non dicam sperare, sed ne desiderare quidem ausus fueram, accepissem. Quæ fusius non persequor, ne de me ipse loqui videar. Itaque ad Biancanum revertor; cujus orationem qui legerit,

Digitized by Google

vel ex hac una intelliget, quantus vir ille fuerit, quamque et multa, et magna eidem debeamus. Quare adolescentes nostros nunquam hortari desinam, eam orationem (quandoquidem typis mandata est) diligenter ut legant; qua nihil meo judicio doctius, elegantius nihil, nihil ad rem accommodatius esse potest. Quam quidem nunquam in manus sumo, sumo autem et sæpe, et perlibenter, quin gratissima animum meum subeat incredibilis illius in me humanitatis recordatio. Namque adolescentulus ut tum eram annorum vix sedecim, cum vererer ad tantum virum accedere, sic sum ab optimo sene exceptus, ut mihi, omnia certe quidem animo cogitanti præter studia antiquitatis, de antiquitatibus sermonem injecerit, suisque ipse manibus orationem illam dono dederit, et fere dixerim commendaverit. Quis futurum unquam putasset, ut ejus vestigia, longissimo quamvis intervallo, persequi deberem, orationemque illam quasi ex ejus manibus in manus istas vestras, Adolescentes optimi, traderem, vobisque commendarem? Hanc tamen dum commendo, non possum quin auctoris ejus integritatem

Digitized by Google

eximiam, rarissimam innocentiam, summum candorem animi, pietatem in Deum, caritatem in patriam, in amicos fidem, in omnes comitatem recorder, vobisque præsertim, qui novum hunc honoris gradum promeruistis, singularem ejus virtutem, atque ad sanctissimam honestatem accommodatam totius vitæ rationem vehementer commendem. Haud quidem exiguam, ornatissimi Juvenes, hodierna die laudem estis assequuti: vestras ingenii vires, studia, labores mirati omnes sumus, plausibusque doctrinam vestram excepimus, qua excolti, ornatique hinc discedentes, dignitatem amplissimam quasi thesaurum in patrias, familiasque vestras referetis. At reputate quovis thesauro potiorem habendam honestatem, eamque, uti ajebat Tullius (*a*), omni pondere graviorem, quam cætera omnia. Ubi enim est dignitas, inquiebat ille (*b*), nisi ubi honestas? Mementote, quod idem affirmabat Tullius (*c*), ab honesta morte sæpe vitam quoque turpem exornari; vitam turpissimam ne morti quidem honestæ locum relinquere. Biancanum imite-

(*a*) Offic. l. 3. c. 8. (*b*) Ad Att. l. 7. ep. 11.
(*c*) Pro Quint. 15.

Digitized by Google

mini, qui idem doctissimus fuit, idem honestissimus; cujus propterea memoriam nominis nostris infixam animis nulla unquam neque vetustas obruet, neque delebit oblivio.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google